Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

infelix. et forsitan post nos meliores erunt. qui Christo sincera uo-
luntate seruientes. eos. qui ad disciplinam domini confugiunt tu-
entur. Non ait illa. quod oportet capud tuum in initio est. Et pachumius ait.
Tu mendacii principatum geris. nam prescire nichil omnino preuales.
Hoc enim solius dei est. et maiestatis potentie eius. prius cuncta
prenoscere. Que ait. Secundum prescientiam quidem ut dicis. nichil pe-
nitus noui. conitiendo tamen plura cognosco. Et pachumio scis-
citante quomodo conitiat. ait illa. Ex precedentibus que sunt euen-
tura considero. Et ait ad eam. Quomodo conicere possis exprime.
Et illa. Omnis rei principium processu temporis ad constitutum ten-
dit augmentum. deinde ad detrimentum deuergit. Sic ergo ex hac di- x conitio!
uina uocatione que inter initia sua celesti roborata presidio sig-
nis et prodigiis. uariisque uirtutibus creuit. Cum igitur senescere
cepit. corporis minuetur incrementis. aut temporis diuturnitate la-
cescens. aut negligentie torpore deficiens. Tunc igitur ad-
uersus huius cenobium potero preualere. Sed et nunc opus meum est supplan-
tare quos possum. magnosque uiros temptare non desino. Cui pachu-
mius ait. Sicut dicis magnos uiros temptare non cessas. propriumque
opus tuum animarum animarum perditionem esse professa es. ut potere que
cunctos excellas in malicia demones. dic quare non aduersus domini fa-
mulos non potes preualere? Et illa. Iam tunc inquit ante predixi ex quo
mirabilis incarnatio Christi facta minoris est nos sine uiribus
prorsus existere. ita ut ab his qui credunt in nomine eius
illudamur ut passeres. Uerumtamen et si infirmi sumus red-
diti. non usque adeo gerimus otia. ut non quos possumus decipere moliamur.